DE MENINGITIDE SPINALI QUAM VOCANT CIRCUMSCRIPTAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT ATQUE

DIE XXII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXL.

PUBLICE DEFENDET

PHILIPPUS SCHMITZ,
RHENANO-BORUSSUS.

Opponentibus:

F. A. DUHR, med. et chir. Dr.
L. A. GOERGEN, med. et chir. Cand.
JOS. SCHAEFFER, med. et chir. Cand.

BONNAE,
TYPIS FRANCISCI BAADEN.
MDCCCXL.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMOS

Friderico Nasse

MEDICIN. ET CHIRURG. PHILOSOPH. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

NEC NON

AVUNCULO DILECTISSIMO

Jacobo Dahm

JUDICIO APPELLATIONIS COLONIENSIS CONSILIARIO, EQUITI ETC. ETC.

PIS GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Antequam de ipsa meningitide circumscripta sicuti propositum est disseram, paucis verbis admonendum est, esse quidem dolorem localem vel manu premente vel vertebris minime quoque tactis exorientem symptoma gravissimum plurimisque in ejus morbi casibus et primarium et ultimum, eundem autem ad plures quoque alias conditiones pertinere. Quas cum igitur hic praetermittere non liceat, primo loco de isto dolore vel sensilitate abnormi initium capiam.

Variis enim in morbis imprimis in exanthematis acutis sensilitas abnormis juxta totam columnam vertebralem aut unam vel alteram partem tenens ab aegris sentitur. Sic plerumque occurrit in primo stadio variolarum, scarlatinae, morbillorum etc. ubi potius abnormis frigoris sensus percipitur. In rheumatismo vago nec non fixo et febri conjuncto dolorem in singulis vertebris pressu adauctum observavi; et sunt quidem scriptores, qui rheumatismum medullae spinalis affectionem nominant, eo ducti, quod symptomata rheumatismi et irritationis spinalis parum inter se differant. Hufelandius contra, qui similitudinem quandam utriusque morbi non negat, idenditatem autem caussis allatis rejicit.

Longum est, si omnes morborum species enumerare velimus, in quibus sensualitas quaedam abnormis est observata; id satis nobis esse videtur, si ca-

sus recitemus, in quibus una vel altera vertebra spinalis locum affectionis praebeat.

Exstant nobis casus ex diariis clinici bonnensis collecti, ubi homines febri intermittente correpti in una vel altera vertebra spinali pressu adhibito dolorem vehementem accusabant, ita ut affectionem medullae spinalis aut ejus membranarum ex aliis, quae istum dolorem secuta sunt, symptomatis denegare nullomodo possimus, et, ut infra videbimus, sunt auctores, qui febrim intermittentem affectionem systematis cerebro-spinalis dictam esse velint, eo conducti, tum ex symptomatis, quae febrim comitabant, quum ex sectionibus febri intermittente in demortuis institutis.

Obs. I. Puella novem annorum scrofulis laborans ante annum febri intermittente correpta est. Exploratione columnae vertebralis facta dolor pressu adauctus in tertia et quarta vertebra dorsali sentitur cum sensu frigoris, lassitudine membrorum inferiorum conjuncto, qui hirudinibus positis disparuit.

Obs. II. Homo viginti annos natus, robusta sanaque constitutione bis jam febrim intermittentem superaverat, quum denuo ab illa correptus esset. Paroxysmi quotidie redibant, et lassitudo totius corporis erat permagna. Quodsi primam, secundam et tertiam dorsalem vertebram premas, aegrotus dolorem in illis locis sentit, qui usque ad regionem epigastricam se extendit.

Obs. III. Mulier per sex septimanas febri intermittente quartana jam vexata in vertebris superioribus dorsalibus pressu dolorem accusat ad regionem epigrasticam se extendentem.

Obs. IV. Vir triginta annorum, nullis aliis morbis, nisi bis febri intermittente sex vel septem septim-

anas durante correptus est, denuo febri intermittente tertiana laborat et dolorem sentit primis dorsalibus vertebris pressis.

Obs. V. Mulier viginti quinque annos nata nonnullos ante annos febri intermittente oppressa sentiebat pressu dolorem in superioribus thoracis vertebris, qui quoque motu valde augebatur; aderat sensus pulsationis in membris defatigatis.

Obs. VI. Femina ex quibusdam diebus febri intermittente tertiana correpta sentiebat dolorem vehementem, quoties septimam thoracis vertebram digito presseris. Cucurbitulis ad locum dolorificumpositis, posteaque ungt. cinereo infricato dolor prorsus evanuit.

Obs. VII. Vir quidam per tres hebdomades febri intermittente vexatus querebatur de plenitudine quadam abdominis, lassitudine membrorum doloreque dorsi, qui se usque ad regionem epigastricam extendebat. Explorata columna vertebrali digito prementi in spatio inter quintam ad nonam vertebram dorsalem dolorem satis fortem provocas.

Obs. VIII. Homo septem et viginti annorum, saepius febri intermittente superata hoc tempore iterum a febre prostratus est et pressu in septima dorsali vertebra adhibito mox aegrotus vehementi dolore concutiebatur. Cucurbitis et ungt. cinereo inuncto dolor disparuit.

Similes casus febris intermittentis, in quibus dolor in singulis vertebris est observatus Dr Kremers[1]) in libro suo nobis communicat.

Obs. IX. Vir sanus ac robustus quibusdam ex

---

1) *Boobachtungen und Untersuchungen über das Wechselfieber* **1840.**

diebus tertiana correptus prima et secunda vertebra dorsali pressa dolorem, paroxysmo intrato vehementiorem factum sentiebat.

Obs: X. L . . Ab . . undevinginti annos natus pluries jam febri intermittente oppressus dolorem in prima, secunda et tertia vertebra dorsali premendo accusabat.

Obs. XI. Homo viginti trium annorum decem ex mensibus febri intermittente quartana laborans dolore cruciabatur quatuor superioribus vertebris dorsalibus pressis.

Obs. XII. Puella febri tertiana septima jam hebdomade durante ac postea in quotidiana transmutata correpta est, et tres superiores vertebrae dorsales pressu dolebant.

Obs. XIII. Puer trium annorum tres quae praeteribant septimanas ex tertiana et deinde quotidiana febre decumbens mox clamare incipiebat, simulac superiores vertebrae dorsales premebantur.

Obs. XIV. Vir quadraginta novem annos natus ex verno tempore bis febri intermittente conflictatus ita fuit restitutus, ut tribus ex septimanis nulla apparuisset accessio febrilis, integra vero sanitate gaudere non potuerit: appetitus ciborum nullus, pallidus faciei color, hypochondrium dextrum tensum ac durum, pressu dolens, membra languida. Columna vertebrali explorata prima, secunda ac tertia vertebra dorsalis premendo dolebant.

Obs. XV. Homo sexagenarius aestate, quae praeteriit, ex febri intermittente decubuit et ultima accessione praeterlapsa integram sanitatem, quamvis ne vestigium quidem febris adesse videretur, haud recuperavit. Lingua crasso fuscoque indutu obtecta, sapor amarus, regio hepatica, lienalis et ven-

triculi tumefacta ac tensa, totum abdomen aeque ac scrotum et membra abdominalia oedematosa. Tribus superioribus vertebris dorsalibus pressis dolor vehemens excitabatur.

Obs. XVI. Vir viginti novem annorum querebatur de cephalea, lassitudine et sensu paralytico membrorum; pulsus frequens et alvus dura. prima et secunda vertebra dorsalis pressu dolebat et triduo post febris tertiana advenit.

Obs. XVII. Mulier triginta et novem annos nata primum tertiana et deinde quartana febri cum delirio et inconscientia conjuncta implicata est. Quatuor superiores vertebrae dorsales pressu vehementer dolebant.

Ille scriptor nunc casus refert, in quibus febris intermittens adeo latebat, vix ut alio signo, nisi dolore vertebrarum detegi potuerit.

Obs. XVIII. Mulier triginta octo annorum pluribus ex annis gastrospasmo, caphalaeae et vomitui conjuncto, quavis irritatione nervorum systematis intrante correpta est. Aliquod temporis spatium post in tertianam febrim duos menses durantem incidit. Tum post duos menses vehementissimo gastrospasmo oppressa in febrem quartanam est delapsa. Non multo post alia occurrit accessio spasmis epilepticis haud absimilis. quinque superiores vertebrae dorsales pressu fortiter dolebant.

Ocs. XIX. Puella quindecim annorum subito vehementissimo tremore universali, cui vomitus ac diarrhoea se adjuxerat, est prostrata, quae vero accessio duas fere horas durans prorsus evanuit, ut altero die frigore deficiente rediret. Tres superiores vertebrae dorsales pressu adhibito dolorem excitabant.

Obs. XX. Vir septuaginta annorum subito do-

lore pungente abdominis, cui associavit anxietas, deficiens ciborum appetitus, alvus tarda ac dura, correptus est, quam conditionem morbosam usque ad tempus vespertinum tulit, quo remittente accessione media nocte adventa denuo dolor usque ad matutinum tempus aegrum perfringebat. Altero vero die eadem signa dolori in regione epigastrica et hepatica conjuncta. Superiores vertebrae dorsales pressu valde dolebant.

Obs. XXI. Homini robusto quinquaginta annorum in latere dextro pectoris infra claviculam erat dolor pungens moxque adeo crescens, vix ut neque spiritum ducere, neque loquela uti potuerit cephalaea et magna anxietate vexatus; percussio et cylindrus loco illo appositus nihil contra normam observare licuit. Quatuor superiores vertebrae dorsales premendo dolebant.

Obs. XXII. Vir quadraginta annos natus subito dolore pungente pectoris lateris sinistri, dyspnoea, cephalaea et magna anxietate graviter est correptus; qua vero conditione totum per diemdurante vespere syncope exorta est, posteaque levamine quadam sudavit. Biduo post malo increscente sinistrum pectoris latus infra quartam costam veram percutiendo fuscum exhibuit sonum atque doluit, murmur respiratorium minime audire licuit atque adfuit aegophonia imperfecta; pulsus nec plenus nec durus. Quatuor vertebrae dorsales superiores premendo gravem excitabant dolorem.

Obs. XXIII. Vir septem et viginti annorum valetudine minus commoda per plures dies usus levi refrigerio contracto frigore cum vomitu aquosi fluidi corripiebatur. Quae vero conditio uno die intermittens altero die majori cum impetu apparebat et in decursu morbi omnia gastritidis signa adesse videban-

tur. Quatuor superiores vertebrae dorsales pressu dolebant.

Obs. XXIV. Ancilla viginti septem annorum ophthalmia intermittente? quoad formam rheumaticae persimili laborans prima et secunda vertebra dorsali pressa dolore pervellebatur.

Obs. XXV. Puella debili ac nervosa constitutione praedita anno, qui praeteriit, omnia dilatationis cordis signa passa est, ex quibus satis est restituta. Jamque octo per septimanas valetudine adversa usa, questa est de dolore pungente a tertia ad sextam costam sinistram proficiscente, pulsu debili ac lento; et ex sex septimanis quotidie intervallis irregularibus syncope correpta est. Ultima cervicis et quatuor superiores vertebrae dorsales pressu valde dolebant, qui dolor per totum pectus propagabatur.

Obs. XXVI. Vidua octo et triginta annorum bis jam ex febri intermittente decumbens, accusat fortem capitis dolorem, imprimis supra arcum supraciliarem dextrum, quem, quasi ignis ex hoc loco erumpat, describit. Qui vero dolor non intermittens per totum diem durans vespere aliquid remittens calore et sudore provocato prorsus fere evanescit. Dolent quidem quatuor superiores vertebrae dorsales pressu adhibito.

Obs. XXVII. Infans trium annorum plures per dies sanitate minus firma gavisa de caephalaea, dolore horis postmeridianis intrante et sudore sub vespere conquesta est. Quatuor superiores vertebrae dorsales pressu dolebant.

Obs. XXVIII. Mulier quadraginta annos nata subito noctu vertigine correpta in apoplexiam delapsa est, quae paulo post iterata cum debilitate et syncope erat conjuncta. Columna vertebrali explo-

rata quatuor superiores vertebrae dorsales pressu valde erant dolorificae.

Obs. XXIX. Homo robustus jam ex quatuor mensibus sensum formicationis et convulsiones sinistrae manus sensim crescentes animadvertebat; quae vero affectio crescendo ita fuit aucta ut tres menses post et membra thoracica et abdominalia paralysi plus minusve afficerentur. Qui quum eo temporis tertiana febri laboraret, quasdam ante accessiones febriles horas convulsionibus membrorum superiorum usque ad paroxysmum ipsum crescentibus vexabatur, paralysi ita increscente, ut brachia et crura movere haud potuerit. Paroxysmus quum evanesceret, paralysis ad pristinum redibat statum. Omnes vertebrae a quarta cervicali usque ad tertiam dorsalem pressu dolebant.

Obs. XXX. Mulier septuaginta annos nata anno et fere dimidio, qui praeteriit, febri intermittente comprehensa et omnino restituta ante quatuordecim dies iterum febri prostrata est. Neque ullum medici auxilium quaerens inter frigoris stadium occubuit. Sectione facta dura mater et arachnoidea in regione primae vertebrae dorsalis rubra inventa est; haec crassa et plexus venosus sanguine impletus; tela cellulosa arachnoideae 'subjacens rubefacta; singula vasa sanguifera in medullam ipsam emollitam et pulpaceam rubro colore penetrabant.

Obs. XXXI. Vir quadraginta quinque annorum vomitu et dolore pungente sinistri lateris oppressus est, illo die altero sponte evanescente, hoc vero durante. Querebatur aeger ita sibi esse, quasi vinculum abdomen inferius usque ad penem anumque constringeret; cum dolore urinam sanguine intermixtam reddebat; alvus dura. Percussio ac cylindrus nihil con-

tra normam praestiterunt. Quae vero symptomata interdum remittebant. Mediae vertebrae dorsales, omnesque lumbales pressu dolorem exhibebant.

Obs. XXXII. Mulier nervosa praedita constitutione nonnullis ex diebus lassitudinem membrorum, tristem animi conditionem, anxietatem et difficultatem spiritum ducendi accusabat, quo facto abortivit. Sequente die exortus est vomitus, magna anxietas et saepius syncope intercurrens; in abdomine dolor quasi spasmoticus. Tertia, quarta, quinta et octava vertebra dorsalis pressu vehementer dolebant.

Obs. XXXIII. Vir quadraginta annos natus caussa externa data in membris inferioribus fit paralyticus omni sensibilitate privatus. A tertia vertebra dorsali usque ad os sacrum omnes pressu dolebant, nec ullum laesionis columnae vertebralis vestigium invenire licuit.

Stilling [1]) in libro suo de irritationes pinali. nonnullos febris intermittentis casus nobis communicat, ubi dolor in singulis vertebris pressu adauctus est observatus. Ita refert:

Obs. XXXIV. Sutorem viginti quatuor annorum pluries refrigerio se exponentem febri intermittente esse correptum, qua febri male tractata ac refrigerio denuo contracto dolorem trahentem in membris et abdomine, debilitatemque membrorum inferiorum esse exortam, quae unoquoque motu major facta sensibilitate diminuta ad paralysin fere completam tendente sit conjuncta. Secundam et tertiam vertebram lumbalem valde prominentem et tumefactam pressu doluisse. Sanguisugis applicatis et fonticulo posito aegrotum restitutum esse.

---

1) *Physiolog., patholog. und medizinisch praktische Untersuchungen über die Spinal-Irritation, Leipzig* 1840.

Obs. XXXV. Virum quinquaginta octo annorum priore tempore febri intermittente, hac vero hieme pneumonia correptum ex nonnullis septimanis rachialgiam vehementem, quam ex rheumatismo deducat, accusare, quo facto ante tres dies febris intermittens quotidiana exorta sit. Omnes fere vertebras dorsales, praecipue inferiores pressu valde dolere, et quodsi premas primam et tertiam vertebram dorsalem, dolorem ad humeros se extendere, sin medias et inferiores, ad costas dyspnoea provocata propagari.

Alia quoque aegritudo, epilepsia nimirum haud raro locum occupat in medulla spinali, quae sedes affectionis dolore pressu in hunc locum adhibito manifestatur, ut observationes demonstrabunt.

Obs. XXXVI. K.. K.. quotidie fere tribus ex annis insultu epileptico prostrata est; acerbissime convellebatur aegra; aderat cephalaea, membra superiora relaxata, inferiora omni sensibilitate privata. Dolorem sentiebat in regione epigastrica in linea alba circum umbilicum usque ad os pubis se diffundentem. Vertebra undecima dorsali pressa aegra statim alta voce conclamabat.

Obs. XXXVII. H... R... viginti annos nata ex biennio epilepsia est vexata. Menses decimo septimo aetatis anno apparuerunt, et anno abhinc praeterlapso questa est de magna anxietate, vertigine, gravi dolore modo in abdomine, modo in pectore, modo in dorso oriente, de tremore artuum. Quae symptomata indies crescebant et novissimo tempore insultus saepius redeuntes hujusmodi erant: anxietas permagna, in membris abdominalibus sensus corporis alieni, in interno cruris latere ad abdomen adscendentis doloremque promoventis; tum conscientia orbata pedes manusque convellebantur. Pressu in processibus

spinosis tertiae ac nonae vetebrae dorsalis dolor vehemens est promotus.

Obs. XXXVIII. Cath... K... viginti annos nata ex uteri torpore jam plures per annos laborans insultu epileptico sensim sensimque crescente prostrata est. Columna vertebrali explorata dolorem accusabat in vertebra sexta dorsali pressu adauctum.

Chorea St. Viti saepius ex loco affecto circumscripto medullae spinalis aut ejus membranarum ori ginem ducit auctore Dr. Stiebel, qui centies se vidisse choream St. Viti, in qua affectio nervorum medullae spinalis monstrari potuerit, nec ullum exstitisse casum, in quo dolor alicujus vertebrae morbo perstante non sit observatus affirmat. [1])

Stiebel enim in libro suo [2]) ubi de chorea St. Viti quam dicit rachiticam loquitur, nonnullos casus hujus morbi refert, in quo intumescentiam et dolorem pressu auctum in vertebra septima cervicali observavit et in hac affectione caussam proximam hujus morbi deponit.

Obs. XXXIX. Puer decem annorum chorea St. Viti corripiebatur; ultima cervicis vertebra adeo fuit tumefacta, quasi ibi adesset malum Pottii, cutis in hoc loco rubra et dolor pressu sentiebatur. Hirudinibus applicatis et mercurio dato puer est restitutus. Quatriennio post dolorem sentiebat in dextri pedis haluce, ita ut levissimo quoque tactu alta voce clamaret. Nullum ad hunc finem remedium porrectum dolorem repulsit, sed post tres hebdomades subito propagatus est ad genu ibique per paucos dies remorans omnia

---

1) *Caspars Wochenschrift über die gesammte Heilkunde, Jahrgang 1837.*

2) *Ei. kl. Beiträge zur Heilwissenschaft, Frankf. a. M. 1828.*

coxitidis symptomata apparuere. Quo quidem morbo aptis remediis fugato puer integra sanitate gravisus esse videbatur, quum vespere quondam de difficultate urinam reddendi alvoque duro quereretur; extrema ossis sacri pars adeo fuit tumefacta, ut quasi globuli duo profundo sulco separati sentirentur. Fonticulo posito, ungt. cinereo infricato difficultas urinam mittendi desinebat, altero vero die sensus gravitatis in manu, trahensque dolor in nucha observabatur pedesque difficultate quadam movebantur. Dein susurrus ante aures, obnebulatio visus et tertio balneo curae caussa adhibito trismus et tetanus exoriebantur. Media dorsalis vertebra valde tumefacta, fonticulis ibi positis et mercurio cum opio interne dato tetanus disparebat, sed biduo post, motus involuntarii dextrae manus, ut in chorea occurrit, existebant, qui statim fonticulis in regione septimae cervicis vertebrae positis debellati sunt, sicuti quoque intumescentia vertebrae sanitate recuperata brevi disparuit.

Obs. XL. Frater pueri ante nominati duos annos natus, eundem morbum sustinens, minorem quidem dolorem sentiebat in vertebra septima cervicali, quamquam symptomata choreae in illo erant graviora. Iisdem remediis restitutus est.

Stilling in scripto jam supra nominato similem choreae St. Viti casum nobis tradit. [1])

Obs. XLI. Puer decem annorum perterritus castigatusque a patre die sequente dolorem et rigiditatem in utraque poplite querebatur. Sedens labore tantum se erigere poterat, et quosdam post dies dolor in utraque vola manu, simulque dolor trahens in digitorum apice manus dextrae existebat. Aderat somnus turbatus, facies pallida, frigoris et caloris sensus.

---

1) l. c. p. 508 et seq.

Brevi post et dormiente et vigilante puero motus involuntarii dextri lateris cum faciei distortione apparebant, omnesque motus tam celeres et irregulares, ut puer nec stare, nec obambulare, neque edere, neque bibere potuerit. Aderant omnia choreae St. Viti symptomata. Convulsiones saepe singulis vehementibus ictibus in brachiis et cruribus, electrico quasi fluido similibus excitatis interruptae sunt. Loquela peculiariter mutata. Columna vertebrali explorata omnes fere vertebrae, praecipue autem cervicales et dorsales superiores pressu valde dolebant. Hirudinibus juxta columnam dolentem positis et vesicatorio dolor in vertebris mox quidem evanuit haud mutatis aliis symptomatis. Quibus modo adauctis, modo imminutis mense post dolor in omnibus fere vertebris cum alvo involuntaria denuo apparuit, tunc autem hirudinibus et ungt. cinereo infricato fugatus est. Medici franco-galli et anglicani teste Stiebel in hominibus chorea St. Viti demortuis saepius mutationes in ipsa medulla spinali, in ejus membranis aut in osse ipso observavere.

Observationes, ubi localis medullae spinalis aut ejus membranarum affectio dolore pressu in singulis vertebris adhibito manifestatur, haud raro, uti infra sequitur, in diariis clinicis invenimus.

Obs. XLII. Vir triginta sex annorum sentiebat dolorem in dorso ad regionem epigastricam se extendentem, sensum formicationis nec non debilitatis in membris thoracicis et abdominalibus. Quinta vertebra cervicalis, tertia, quarta et quinta lumbalis pressu valde dolebant, qui vero dolor cucurbitulis positis et ungt. cinereo infricato imminuebatur:

Obs. XLIII. Senex perfecta cruris sinistri paralysi, imperfecta dextri laborans sentiebat debilitatem

brachiorum rigiditatemque nuchae; alvus tarda ac lenta, urinae incontinentia. Secunda vertebra lumbali pressa aeger profundum accusabat dolorem.

Obs. XLVI. Vir triginta annorum questus est gravitatem capitis, nubeculam ante oculos, interdum calorem corporis adauctum pedibus frigidis, in quibus nec stare nec obambulare potuit propter dolorem trahentem et debilitatem in iisdem. Pressum adhibens in prima vertebra dorsali dolorem observas cucurbitis postea fugatum.

Obs. XLV. Homo quinquaginta annorum accusabat convulsiones membrorum inferiorum certis intervallis redeuntes; alvus et urina interdum spasmodice retinebantur. Vertebris a prima ad septimam usque dorsalem pressis statim vehemens dolor excitatus est.

Obs. XLVI. Mulier triginta novem annos nata infantile tempus sine ulla sanitatis perturbatione consumsit. Subito menses terrore contracto inter fluxum suppressi sunt et quosdam post menses iterum redierunt, sed novo refrigerio orto denuo disparuere, nec prius, quam annus et dimidius fuit peractus, in statum normalem reversi sunt. Menstruis suppressis vexabatur aegra cephalaea, spasmis abdominis, lassitudine membrorum et dolore in columna vertebrali. Quae vero conditio sensim altiorem acquaesivit gradum: dolor in vertebris dorsalibus fit pressu vehementissimus, sensus adest, quasi vinculum ferreum abdomen circumdet, visus delibitatus, membris inferioribus uti nequit, summo tantum labore moventur omni sensibilitate carentia. Alvus tardaac lenta. Cucurbitulis ad locum affectum positis dolor imminutus est et mensibus revocatis omnia morbosa symptomata evanuerunt.

Obs. XLVII. Homo arthridite laborans accusa-

bat debilitatem pedum, dolorem vehementissimum in columna vertebrali inter scapulas originem ducentem seque ad os sacrum porrigentem ac dextrorsum ad costas spurias nec raro umbilicum occupantem. Spongiis calidis auxiliatis et pressu dolor excitatur a septima vertebra dorsali usque ad ultimam lumbalem.

Obs. XLVIII. Adolescens quidam undevicesimum annum agens de scala prolapsus in dorsum cecidit et commotionem cerebri medullaeque sibi contraxit. Quamvis externe in columna vertebrali nil abnorme observare licuisset, tamen, quotiescunque levissimo quidem pressu aut in dorsali aegri situ locus affectus tactus fuerit., dolor intollerabilis est excitatus, sicca tussi et spasmis musculorum dorsalium conjunctus. Per aliquod temporis spatium omnibus symptomatis repulsis aegrotus se restitutum putavit. Forte itinere facto et inde refrigerio exorto tussis ante dicta cum insultibus spasmodicis denuo apparuit, quae tertia cervicali vertebra pressa, graviore insulto spastico, opisthotono et spasmis faciei concomitata statim excitata est, quum antea tussim illam provocare potuisti quintam et septimam vertebram dorsalem premendo.

Obs. L. Puella duodecim annorum perpetuo brachiorum tremore cum dolore pungente in iis conjuncto ac convulsionibus correpta, dolorem pungentem sentiebat quarta vertebra dorsali nec interdum nona ac decima pressa.

Obs. LI. Vir quinquaginta annorum dolorem fixum in regione sacrali sensim crescentem, cucurbitulis repulsum, iterumque redeuntem, ut die noctuque vexaretur, accusabat. Ex qua regione, ubi tertia vertebra lumbali pressa dolor acutus promovebatur, iste per totum abdomen se extendebat cum sensu strictionis ac compressionis abdominis conjunctus.

Formicatio ac spasmi leviores membrorum inferiorum occurrebant. Cucurbitulis et fonticulis positis iste dolor cum malo expulsus est.

Obs. LII. Vir triginta annos natus membrorum superiorum immobilitatem accusat, ut dextrum omni motu prorsus careat, sinistrum vero ad caput quidem afferre, neque tamen plane extendere possit, sensilitas non fuit turbata. Membra inferiora adeo debilitata, vix ut obambulare queat. Convellitur noctu, surarum spasmis cruciatur; pedes usque ad genua frigidi. Pressu atlantis et epistrophei nec non tertiae, quartae ac quintae thoracicae vertebrae dolorem vehementem sentit. Dolore constringente pharyngis, dysphagia, palpitatione cordis et alvo obstructa opprimitur.

Obs. LXIII. Homo viginti annos natus puer saepius dyspnoea laborans septimo aetatis anno scabie suppressa non multo post lassitudinem membrorum ac sensum gravitatis sensim ad dolorem auctum questus est. Triennio post dolorem in regione sacrali et ultima vertebra lumbali pressu motuque auctum sensim sensimque crescentem, perpetuo unum eundemque locum tenentem sentiebat. Acerbissimus vero erat dolor a secunda et tertia vertebra lumbali usque ad os sacrum, quasi culter in illum locum inferreretur. Cui vero dolori fixo dolor vagus juxta sternum et in dextro pectoris latere, sensu constrictionis abdominis fuit conjunctus. Membra inferiora lente ac difficulter calore imminuto moventur.

Obs. LXIV. Puella viginti annorum gastritide cum febri inflammatoria laborans spongiis calidis et pressu in tertia et quarta vertebra dorsali adhibito dolorem pungentem ibi sentiebat, simulque sensus aderat, quasi manibus spinae adhaererent, formicationis

sensus in digitorum apice; membra infer. languida ac molesta, interdum convellebantur. Cucurbitulis positis dolor disparuit.

Obs. LV. Infanti duorum annorum refrigerio orto totum sinistrum latus tumescebat, ita ut sensu durius et motu difficilius redderetur. Levissimus hujus loci tactus dolebat, ut parvulus miserrime conclamaret oscitatione crebroque ructu intrante. Si sexta usque ad nonam vertebra dorsalis tangeretur infans clamando ructu conjuncto dolorem exhibebat.

Obs. LVI. Mulieri triginta duos annos natae vertebra quinta usque ad nonam dorsalem prominebat, et tangendo dolebat, et premendo acerbissimo dolore juxta costas et in regione epigastrica se extendente cruciabatur.

Dr. Stiebel in praefatione sui libelli ante citati duos recitat casus, ubi dolor in vertebris unicum fuit symptoma, quod ipsum ad rectam diagnosin morbique curam felicem duxit.

Obs. LVII. Puella quatuordecim annorum jam supra octo menses accusabat dolorem abdominis lineam albam sequentem latitudine pollicis infra umbilicum positum, qui hirudinibus applicatis disparebat, ac postea redibat. Neque illa regio premendo ullum indicabat dolorem. Deinde exorta membrorum infr. debilitas, sensus obtusus et premens in fronte, qui acerbissimo abdominis dolore altiorem occupabat gradum. Columna vertebrali explorata profundus sulcus in regione ultimae vertembrae lumbalis pressu quidem non dolens occurrebat. Tres menses post symptomatis parum mutatis exploratione in balneo calido facta et regio illa et ultima vertebra dorsalis adeo fuit dolorifica, vix ut aegra sustinere potuerit. Debilitas membrorum infr. fit major et superiora partici-

pant. Quosdam dies post dolor fit tam vehemens, ut levissimo tactu existebat intollerabilis. Fonticulo in utraque vertebra dolente posito dolor cum aliis symptomatis evanuit.

Obs. LVIII. Virgo viginti annorum ex anno fere semper dolore abdominis vexabatur, contra quem omnia remedia frustra tentata sunt. Dolor utrumque occupabat latus paullulum infra umbilicum. Columna vertebrali ut ante explorata profundus sulcus pressu dolens in regione tertiae vertebrae lumbalis se ostendebat. Fonticuli ibi applicati malum curavere.

C. Wenzel in libro suo [1]) nonnulla refert exempla affectionum vertebrarum, in quibus, quae pertinent ad symptomata huic affectioni conjuncta, membranae medullae aut ipsa medulla affectae esse videbantur.

Obs. LIX. Homo quidam ex longinquo pedum sudore copioso ac foetido laborans illum pediluviis frigidis depulsit. Quarto jam pediluvio adhibito in tribus inferioribus vertebris dorsalibus et omnibus lumbalibus sensus valde dolorificus exortus est et membris inferioribus uti propter dolorem auctum non potuit. Cucurbitulis positis dolor evanuit.

Obs. LX. Puer quinque annorum collo movendo dolorem accusabat, qui levissimo pressu adaugebatur cum debilitate membrorum sup. conjunctus. Ulcere artificiali posito malum fugatum est.[2])

Obs. LXI. Puella septemdecim annos nata affectionem rheumaticam nuchae refrigerio exorto questa est; cervicis musculi tensi ac sensiles, caput lente

1) *Krankheiten am Rückgrathe, p. 245.*

2) Ei. l. c. p. 269.

movetur, dolor vehemens in prima et secunda vertebra cervicali pressu auctus aegram corripiebat.[1])

Stilling in scripto suo jam ante citato varias irritationis medullae spinalis observationes, in quibns singulae vertebrae pressu dolebant, nobis communicat.

Obs. LXII. Puella sedecim annorum spinali irritatione affecta dolorem vehementem accusabat levissimo in vertebra altera cervicali pressu adhibito. Morbo protrahente et processu spinoso epistrophei intumescente cephalaea intermittente, quae, quotiescunque pars dolens premeretur, acerbissima facta, prostrata est, ita ut lapis quasi per totum caput usque ad frontem jaceretur. Aderat obnebulatio oculorum, saepe vertigo ac syncope, magna lassitudo nec non sensus frigoris. Chinino interne dato et hirudinibus loco dolente positis aegra restituta est.[2])

Obs. LXIII. Femina viginti quinque annorum ab infantia variis correpta est affectionibus et mense maio, qui praeteriit, tussi convulsiva vexata, quum jam ante irritatione medullae spinalis esset oppressa. Magno ambitu vertebrae dorsales pressu dolebant; quovis pressu inferiorum vertebrarum thoracis aegra titillationem faucium quasi penna productam sentiebat, quam statim tussis sequebatur. Aegrae in dorso jacenti tussis major est, in abdomine minor; interdum subito accessione suffocationis correpta fauces constringuntur et vomitus exoritur. Pressu in vertebris adhibito dolor ad summum progreditur.[3])

Obs. LXIV. Ancilla 40 annorum influenza cum pneumonia correpta est, quae mox remediis aptis

---

1) Ei. l. c. p. 273.
2) Ei l. c. p. 209.
3) Ei. l. c. 510.

sublata fuit. Remanebat vero obstructio alvi et sensus injucundus ac premens in praecordiis, quasi crassum corpus in abdomine jaceret. Ex octo diebus aegra ad vesperam horrore peculiari, quem capitis calor aductus sequebatur, oppressa est. Prima ac tertia vertebra dorsalis pressu vehementer dolebant, et sensus aderat, tamquam aegra syncopet.[1])

Obs. LXV. Puellae viginti annorum menses inter fluxum suppressi sunt, altero vero die sui haud conscia et pallida facie subito prostrata et remediis aptis expergefacta pressu regionis epigastricae, hypogastricae et hypochondrii dextri dolorem vehementem sentiebat; vertebrae dorsales sub pressu valde dolebant. Menstruis redeuntibus aegra sanitatem integram recuperavit[2]).

Obs. LXVI. Juvenis 25 annorum officio suo oculos valde tractans visum imminutum, quasi sit nubecula ante oculos, observabat. Septem hebdomades post in oculo sinistro dolor premens ac lancinans, quater per diem rediens et paulo post eadem signa in dextro erant. Vertebra secunda cervicis pressa levis ictus ad oculum dextrum tendebat, oculusque quoad sensum frigidus tamdiu remanebat, donec pressus removebatur. Pressio in vertebra quinta efficiebat vertiginem, quasi aeger ad syncopen tenderet; in quarta, quasi flaret vehemens ventus ante oculos, in sexta commotio per totum caput usque ad oculos penetrabat. Quotiescunque vertebras presseris, symptomata ista revocabis. Hirudinibus et vesicatorio juxta columnam vertebralem positis dolores cum aliis signis morbosis evanuere.[3])

---

1) Ei. l. c. p. 514.
2) Ei. l. c. p. 516.
3) Ei. l. c. p. 517

Obs. LXVII. Vir quinque et viginti annorum refrigerio contracto pedum sudore orbatus non multo post varias apparitiones igneas ante oculum sinistrum adspexit ut scintillas delabentes, parvas angues igneas visu diminuto. A vertebra quinta cervicis usque ad ultimam lumbalem pressu vehementem accusabat dolorem, quasi ictus electricus per pectus et abdomen penetraret. Quovis pressu in vertebris adhibito horror existebat, ut membra tremularent, nec aeger stare posset. Chininum sulph. cucurbitulae et sudor pedum denuo exortus malum prorsus sustulere.[1]

Obs. LXVIII. Mulier 34 annorum tenera constitutione primis graviditatis mensibus vehementi cardialgia laboravit; vertebrae epigastrio dolenti respondentes valde pressu dolebant, sicuti vertebrae cervicales; acu in superficiem nuchae dextri lateris intrusa horror totius lateris dextri cum cute anserina observabatur.[2]

Obs. LXIX. Coqua 23 annorum ex causa sibi ignota subito horribilatione, cephalaea, lassitudine, frigore pedum et tussi sicca correpta altero die dolorem pungentem in utroque abdominis latere et horribilationes calore alternante sentiebat. Prima et quarta cervicis vertebra et quinque superioribus dorsalibus pressis dolor vehemens excitabatur, ita ut ex hoc loco dolente totum corpus convellebatur, una cum sensu frigoris per totum corpus, qui vero sensus pressu remoto remittebat.[3]

Obs. LXX. Amalia N... 22 annorum jam ex anno dolore pungente in regione costarum spuriarum plus minusve durante vexata est, qui juxta totum costae marginem usque ad dorsum adeo fuit vehemens,

1) Ei. l. c. p. 518.

2) Ei. l. c. ibid.

3) Ei. l. c. 524.

ut sensus adfuerit, quasi culter injiceretur. Cuivis dolori horror in dorso incipiens antecedebat cum exacerbatione vespertina; dolore fortiori nausea, vomitus aquarum et ciborum paululum ante manducatorum intrabat. Vertebra dorsalis huic loco dolenti respondens levissimo tantum pressu dolorem maximum provocabat. [1])

Obs. LXXI. Adolescens 18 annorum hoc questus est malum: ex quatuor jam diebus subito dolore in hypochondrio sinistro cum tussi vehementi et sputis aquosis conjuncto se corripi horis matutinis, qui dolor per diem modo desinens modo apparens usque ad noctem duraret frigore calore alternante. Omnes fere vertebrae cervicales pressu valde dolebant, quasi locus sauciatus premeretur.

Obs. LXXII. Adolescens 19 annorum scrofuloso habitu a puero premente et obtusa otalgia auris dextrae tempore verno et auctumnali plerumque intrante correptus est; haud raro simul aderat cephalaea et carotidum pulsatio. Omnes fere vertebrae cervicis nec non dorsales premendo vehementem exhibebant dolorem et aegroto ita fuit, quasi ictus electrici per collum, pectus et abdomen effluerent.

Obs. LXXIII. Vir 32 annorum saepius solis radiis inter laborem expositus accusabat cephalalgiam, dolorem lancinantem ac pulsantem in brachiis ac cruribus, anxietatem, palpitationem cordis, quotidie frigus, calorem et sudorem. Prima et tertia vertebra dorsalis pressu vehementer dolebat.

Obs. LXXIV. Juvenis 23 annorum ex causa sibi ignota ex quatuor jam septimanis magnam lassitudinem omnium membrorum una cum dolore pun-

---

1) Ei. l. c. ibid.

gente in suris ac brachiis, dolorem frontalem et epigastricum sentiebat. Ambulando dolor medio in sterno occurrebat et frigus calore alternans. In omnibus thoracis vertebris pressu dolores intollerabiles excitabantur ad dextrum pectoris latus imprimis tendentes.

Obs. LXXV. Femina 23 annorum ex eo tempore, quo febrim nervosam superaverat, magnam debilitatem, singultum vario modo durantem et cephalaeam vagam sentiebat. Accedebat ad hoc malum ex nonnullis annis dolor in vertebris dorsalibus inter utramque scapulam tactu ac pressu fere intollerabilis Soror ejus quum forte vola manu vertebram dolentem vi quadam tetegisset subito exortus est dolor acerbissimus cum magna dyspnoea et syncope conjunctus. Quum in accessione cephalaeae columna vertebralis explorata fuisset, omnes fere vertebrae pressu dolebant imprimis cervicales superiores ac dorsales. Pressu in vertebris cervicis adhibito dolor ad occiput et partes laterales colli se effundebat, in dorsalibus mediis, ad pectus tendebat.

Ex observationibus tum ex auctoribus haustis tum a nobismet ipsis collectis satis elucet, omnibus in casibus, ubi dolor vertebrarum pressu aut spongiis calidis excitatus aut adauctus observatus est, affectionem contentorum canalis spinalis, loco vertebrae dolentis plerumque respondentem adfuisse, eandemque irritationem aut modo sensilitatem abnormem dispositione aegroti infausta, aut morbo longius protracto, aut rebus noxiis et interne et externe datis inflammationem medullae spinalis aut ejus membranarum provocare potuisse. Quodsi vero haec mera sensilitas abnormis ad talem exitum provecta est, variae affectionum nervosarum species inde oriuntur, ut epi-

lepsia, chorea St. Viti febris intermittens et aliae sicuti in observationibus ante nominatis vidimus. Qualis autem sit conditio morbosa medullae spinalis aut ejus membranarum, qua affectiones peculiares ante dictae provocatae essent, semper plane investigare non potuimus, sed non semper unam eandemque esse satis nobis persuasum habemus, si modo contemplamur symptomata, quae dolori in vertebris conjuncta sunt. Ex hisce enim symptomatis concludimus, utrum adsit irritatio, irritabilitas adaucta an inflammatio medullae spinalis aut ejus membranarum. Scriptores, qui hac de re egerunt, illum dolorem variae indolis esse describunt, et omnes in eo assentiunt, isto dolore affectionem localem medullae spinalis aut ejus membranarum significari, qualis autem sit affectio, utrum irritatio, congestio an inflammatio viri summa auctoritate et dignitate dissentiunt. Ab aegrotis hic dolor in vertebris quoad gradum et quoad indolem varie describitur: alii modo sensum ingratum aut locum contusum premendo percipiunt, alii cum illo dolore comparant, qui exoritur pressu ejus loci, in quo sinapismus aut aliud rubefaciens positum fuit; alii dicunt, ita sibi esse, quasi ex loco presso vehemens ictus materiei electricae similis ad unam vel alteram corporis partem effundatur; alii peculiarem caloris sensum nominant, alii dolorem vehementem, urentem, pungentem ac lancinantem ad varias partes progredientem accusant haud raro syncope aut horrore supra totum corpus diffuso conjunctum; interdum quoque artuum tremulationes ab aegris percipiuntur.

Ex sectionibus in febre intermittente et chorea St. Viti demortuis factis et remediis ad hos morbos debellandos apte et cum successu adhibitis magna ex parte inflammatio localis membranarum medullae spi-

nalis adesse videatur. Sic Maillot [1]) multas sectiones in febre intermittente demortuis instituit et fere semper inflammationem membranarum medullae spinalis observavit.

Adhuc restat, ut diversas auctorum sententias et de sede istius doloris et de indole affectionis medullae spinalis, in qua dolor ille observatur, perscrutemur.

Hinterberger[2]) spinalem irritationem inflammationem articulationum vertebrarum rheumatico-arthriticae similem nominat, quamquam sectionibus factis membranas medullae spinalis inflammatas invenit.

Andral hanc affectionem nihil nisi myelitidem aut inflammationem membranarum medullae spinalis esse contendit.

Teale irritationem spinalem neuralgiam vocat quae originem ducat ex affectione nervorum sensorioorum et in ea affectione minorem inflammationis gradum ponit.

Niese irritationem spinalem vocat inflammationem.

Kremers[3]) quoque in libro suo de febri intermittente irritationem spinalem, quae febri subest, inflammationem membranarum nuncupat.

Ollivier[4]) causam irritationis spinalis in congestionem neurilematis medullae spinalis ejusque nervorum positam esse vult.

---

1) Ei. Traite des fièvres ou viritations cérèbro-spinales intermittentes. Paris 1836.

2) l. c. p. 190—92.

3) l. c. p. 101.

4) Ei. Traite de la moelle epinière et de ses maladies deux. edit. Paris 1827. p. 228.

Stilling[1]) dicit, dolorem vertebrarum solummodo provocari, si nervi sensitivi ad musculos dorsales et cutem se effundentes in centrali fine affectioni peculiari subjecti fuerint.

Sicuti de indole hujus doloris auctores gravissimi diversas habent opiniones, magnum quoque certamen de sede hujus doloris inter illos versatur.

Sic Kremers[2]) pressu in processibus spinosis adhibito vertebras dislocare vult, ita ut contenta canalis spinalis, medulla, liquor spinalis et membranae premerentur, et ita in medullam ipsam aut ejus membranas compressio exerceretur. Dolorem igitur ex pressu inflammatae medullae spinalis deducit.

Eadem fere opinione Olivier[3]) est: simplicem congestionem membranarum medullae ejusque nervorum hasce reddere dolentes partes, et cur dolor plerumque in dorsali parte columnae vertebralis occurrat, eo oriri, quod haec pars columnae vertebralis sit angustior et ita facilius congestiones originem ducant necesse sit.

Andral[4]) dicit, quamvis medulla spinalis profundius canali osseo ligamentis obtecta occulta jaceât, tamen in myelitide acuta pressum in processibus spinosis adhibitum majorem minoremve doloris gradum afficere, nec tamen posse intelllgere, quomodo pressus in processibus spinosis in sensibilitatem organi tam profunde jacentis beneque muniti ullam vim efficacem habere possit.

---

1) Ei. l. c p. 44

2) Ei l. c. p. 57.

3) Ei. l. c. p. 223.

4) *Ei. Vorlesungen über Krankheiten der Nervenheerde 1836, deutsch v. Behrend 1838.*

Piorry[1]) similem producit sententiam, ait enim, sibi incredibile esse, quomodo pressu in processibus spinosis dolor in medulla spinali possit adaugeri.

Stilling[2]) qui ingenue opinionem Kremers atque Ollivieri refutare studet, contendit, quia pressus medullam aut ejus membranas mechanice nec comprimere nec irritare possit, in medulla spinali aut ejus membranis sedem peculiaris doloris non esse, qui pressu excitetur, neque autem dicere velle, istum dolorem a medulla spinali non percipi. Viri illius sententia, quae mihi placet, de sede doloris haec est: rachialgia in irritatione spinali iis in partibus, quae juxta et supra processus spinosos positae sunt, locum tenet, uti in cute et musculis; rami sensitivi nervorum harum partium soli variis ad columnam vertebralem explorandam methodis magis irritantur, et dolor ipse est symptoma excentricum omnibus aliis neuralgiis simile.

Quia non est, cur vera et falsa de sede atque indole doloris in columna vertebrali, quae viri summa auctoritate proposuerint, explanemus, ea solummodo tenemus, quae observationes collectae nobis praestant. Primum maximique momenti meningitidis symptoma est ille dolor in columna vertebrali, quem pressu adaugeri plurimi scriptores contendunt, et quovis motu vehementiorem fieri, in eo omnes consentiunt auctores, ortum eum ducere plerumque ex eo loco, ubi inflammatio vehementissima sit et inde eum sese extendere sursum deorsum usque in pedes brachiaque testantur Parent-Duchatelet, Marti-

---

1) Ei. Traite du diagnostique et semistique.
5) Ei. l. c. p. 34 et 35.

net et Ollivier et harum partium sensualitatem tantopere esse adauctam, ut vel levissimus tactus aegroto lacrymas excutiat. Dolor iste est saepe unicum symptoma, quod suspicionem meningitidis possit movere, ut in multis observationibus, quas retuli, videre licet, neque unquam eum non adfuisse testatur, ubi mera fuit meningitis spinalis. Cetera omnia, quae in meningitide obveniunt symptomata non huic propria sunt, sed pendent ex majore minoreve irritatione medullae spinalis ipsius. Inter haec autem locum obtinent contractiones musculorum ac convulsiones membrorum, quae tetanum, epilepsiam, choream St. Viti etc. consituunt. Quo ad sedem, quam occupat meningitis magna series symptomatum adest: respiratio saepe difficilis, anhelosa, deglutiendi, faeces et urinam mittendi difficultas et quidem dysuria aut retentio urinae observatur, faeces nonnumquam, praesertim in provectiori inflammationis stadio inscio aegroto reduntur.

V i t a.

Natus sum ego *Philippus Schmitz* e pago Ettringen prope Majonam oppidum sito patre *Carolo Josepho Schmitz* et matre *Anna Catharina* e gente *Spitzley,* quorum vitam Deus optimus mihi adhuc servavit. Fidei catholicae addictus sum. Primis litterarum elementis Majonae imbutus, Gymnasium, quod Confluentibus floret, frequentavi ibique per triennium studiis occumbens Bonnam 1834 adii. Examine inde maturitatis superato a Rectore magnifico beato *Nacke* in civium academicorum numerum receptus apud cl. *E. Bischoff* t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum nomen professus sum. Per quinque inde annos et dimidium in hac academia versatus sum studiis per annum dimidium morbo interruptis.

Praelectiones, quas audivi, hae sunt:

I. Philosophicae.

Livium apud cl. *Ritter,* historiam recentioris aevi apud cl. *Loebel,* Logicen et Psychologiam apud cl. *van Calker;* Botanicen pharmaceuticam apud beatum *Nees ab Esenbeck;* Zoologiam apud cl. *Goldfuss;* Physicen experimentalem apud beatum a *Münchow;* Chemiam experimentalem, Phytochemiam et Zoochemiam apud cl. *G. Bischof;* Mineralogiam apud cl. *Noeggerath.* Botanicen apud cl. *Treviranum.*

II. Medicae.

E medicorum ordine praeceptores mihi erant: de anatomia generali et speciali cl. cl. *Mayer* et *Weber;* de Physiologia beatus *Windischmann;* de pathologia generali et semiotice nec non de therapia morborum acutorum cl. *Naumann;* de Encyclopaedia et Methodologia medicinae, de materia medica, de formulis rite conscribendis, de medicina forensi, de Epizootiis

cl. *E. Bischoff;* de Therapia generali cl. *Harless*; de Therapia generali et speciali, de Anthropologia, de morbis psychicis, de educatione medici cl. *Nasse;* de Chirurgia, de Anatomia chirurgica, de oculorum morbis, de operationum chirurgicarum praeceptis. de fasciis cl. *Wutzer;*de arte obstetricia, de morbis infantum atque uteri, de instrumentorum obstetriciorum doctrina cl. *Kilian;* Decanus hoc anno spectatissimus. — In exercitationibus practicis duces mihi fuere: in arte cadavera dissecandi cl. *Mayer* et *Weber;* in exercitationibus obstetriciis ad phantoma et in Clinico obstetricio cl. *Kilian;* in Clinico propaedeutico ac therapeutico cl. *Nasse;* in Clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. *Wutzer.*

Quibus omnibus viris maxime de me meritis, pio gratoque animo maximas, quas possum, gratias et habeo et semper habebo.

Theses.

I. Medicus fit, nascitur chiruryus.
II. Ubi dolor, ibi morbus.
III. Dolor mehercle faustum est symptoma.
IV. Fungus medullaris exstirpatione non sanatur.
V. Musculorum vis constractiva non pendet ab nervis
VI. Venae resorptioni inserviunt.
VII. Sectio caesarea invita matre nunquam instituenda.
VIII. In sectione caesarea magni momenti est forceps.